



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

sola prioritate naturæ beatitudinem supernaturalem præcedere.

Dico tertio, Angeli condignis actibus, non solum naturæ, sed duratione etiam præcedentibus, supernaturalem beatitudinem meruerunt.

Probat: Hic modus merendi beatitudinem est omnium conaturalissimus, cum meritum, ut supra dicebamus, se habeat ad præmium, sicut res ad terminum, dispositio ad formam, & causa efficiens ad effectum: Ergo ille debet attribui Angelo, respectu beatitudinis supernaturalis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Primus actus quem Angeli elicerunt, fuit visio beatifica: Ergo illam meruerunt per actus eam præcedentes, sed solum per actus subsequentes, & ea posteriores. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Augustino libro 4. de Genesi ad litteram cap. 22. & 31. ubi docet Angelos prius habuisse cognitionem matutinam in verbo, quam vespertinam creaturarum in proprio genere: Sed cognitio matutina est visio Dei: Ergo primus actus quem Angeli elicerunt, fuit visio beatifica.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dicendum, quod cum Augustinus docet Angelos prius vidisse res in verbo, quam in proprio genere, ly prius non debet intelligi de prioritate simpliciter, sed de prioritate in ingressu beatitudinis, quando enim Angeli sancti ad beatitudinem supernaturalem, & claram Dei visionem pervenerunt, prius habuerunt cognitionem matutinam quam vespertinam, & prius viderunt res in verbo, quam in proprio genere.

Objicies secundo: Magnum præmium, qualis est gloria Angelorum, magna requirit merita: Sed non potuerunt Angeli in tam brevi spatio viæ, habere merita tanto præmio commensurata: Ergo per opera beatitudinem subsequentia, ipsam meruerunt.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: cum enim Angeli gratiam & charitatem maximè intensam, in primo instanti creationis receperint, subindeque actualem habituali proportionatam; & secundum totum posse gratiæ operentur, actus intensissimos & ferventissimos charitatis, durante statu viæ elicerunt, quibus plus gratiæ & gloriæ meruerunt, quam homo aliquatur multitudinè actuum, quos toto vitæ tempore elicit.

Objicies tertio contra secundam conclusionem: Non repugnat meritum naturæ tantum & causalitate præcedere præmium: Ergo Angeli sancti per actus tantum naturæ priores, beatitudinem mereri potuerunt. Consequentia patet, Antecedens probatur. In nobis simul est contritio ut dispositio ad gratiam, & gratia ut præmium contritionis. Item simul est actus quo meremur augmentum gratiæ & charitatis, & ipsam augmentum: Ergo non repugnat meritum naturæ tantum & causalitate præcedere præmium.

Confirmatur: Contritio eodem instanti quo informatur gratiæ, de condigno meretur gloriam: quid igitur repugnat, ut eodem instanti simul conferatur gloria?

Ad objectionem respondeo primò, hoc argumentum probare quidem quod absolute, & de potentia Dei extraordinaria, non repugnet

A quod Angeli per actus solum naturæ priores, beatitudinem meruerint, quod non negamus, quia nimirum actus dilectionis Dei ut Authoris supernaturalis, quo Angeli beatitudinem meruerunt, potuit regulari aliâ cognitione quam fidei, nimirum cognitione evidenti abstractivâ Dei, sicut in Christo in quo fides non erat, actus meritorii per scientiam infusam regulabantur: Non ostendere tamen quod juxta legem à Deo pro Angelis & hominibus de facto statutam de beatitudine promerenda per actus à fide regulatos, hoc sit possibile, quia, ut supra dicebamus, hujusmodi actus cum clara Dei visione sunt incompossibiles.

B Respondeo secundò, concessa Antecedente, negando Consequentiam: non enim cum quolibet præmio pugnat simul esse meritum, sed cum præmio dumtaxat ultimæ beatitudinis, quod extrahit creaturam à statu viæ ad merendum requisito, nec non pugnat cum merito per fidem infusam regulato, ut supra ostensum est. Unde Ad confirmationem, nego etiam consequentiam, nam actus fidei regulans contritionem, non pugnat cum merito & jure ad gloriam, bene tamen cum visione beatifica, & gloriæ possessione.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrine.

Ex dictis inferes, Angelos sanctos non diu post creationem suam, claram Dei visionem fuisse consecutos, non expectatâ incarnatione Verbi, aut Christi glorificatione. Ita communiter docent Theologi, licet enim differant in assignandis pluribus vel paucioribus instantibus viæ Angelicæ, ut patebit ex dicendis articulo sequenti, sentiunt tamen omnes, illam brevem fuisse, eaque expletâ, bonos statim accepisse beatitudinis essentialis præmium, malos verò æternæ damnationis, supplicium.

Ratio etiam id suadet: Si enim visio beatifica non sit data bonis Angelis propter custodiam hominum, sed propter actus meritorios quos durante statu viæ elicerunt, ut in prima conclusione ostensum est; nulla est ratio cur Deus voluerit differre eorum præmium, usque ad Christi incarnationem vel resurrectionem, & quod illis plus dilata fuerit gloria, quam malis Angelis pœna, qui statim post peccatum, de cælo dejecti sunt, & in infernum detrusi. Unde Daniel. 7. & Job 12. longè ante incarnationem Verbi, dicuntur Angeli ad stare vel assistere ante Deum, quod idem est ac perpetuò videre Deum, & ab ejus visione nunquam recedere, ut docent Gregorius libro 2. Moralium cap. 2. & libro 17. cap. 9. Bernardus serm. 5. in Dedicatione Ecclesiæ, & alii Patres.

Dices primò, 1. Petri 1. dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere*: Sed desiderium est rei absentis & nondum obtentæ: Ergo Angeli sancti nondum vident Deum.

Respondeo, verba illa Apostoli intelligenda esse de desiderio excludente fastidium, non autem visionem ipsam, ut interpretatur D. Gregorius libro 18. Moral. cap. 28. his verbis: *Qui de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur, in quem desiderant Angeli prospicere: sunt nonnulli qui nequam Deum videre vel Angelos suspiciunt; & tamen dictum per Veritatis sententiam scimus: Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei qui in calis est. Numquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi*